



95
TAM GENERIS NOBILITATE ET SPLEN-
dore quam virtute & eruditione cumulatissimo &
præstantissimo

DN. SIGISMUNDO A Lat-
torff in Quastlicke & Salza / omnis
humanitatis laudibus cultissimo MU-
SARUM patrono.

ET

AB OMNI LAUDE DOTEQUE FORMÆ NO-
bilissimæ, piissimæ, lectissimæ ac castissimæ
Virgini

ELISABETHÆ,

NOBILISSIMI, VIRTUTIS SPLENDORE, EXI-
mia pietate, summâ honoris auctoritate, rerumq; multiplici
usu politissimi & acutissimi viri

DN. BENNONIS FRIDERICI Brand
à Lindaw / Hæreditarij in Wiesenburgk /
filix mellitissimæ;

NEOGAMOIS matrimonium novum (quod
piè & solenniter institutum in Wiesenburgk / 17. Febr.
1611.) ut stabile, certum ac fe-
lix sit

Precaur in Domino

M. MICHAEL Ziegenhorn / Scholæ majoris
Saltzensis Rector.

MAGDÆBURGI, TYPIS ANDRÆÆ BEZELII.

SPONSIS
NOBILIBUS ET NOVELLIS

S.



Invenisti, ô sponse Nobilissime, condro & Thusco qui es generosior partu, non quod pueri in faba se clamitant invenisse; invenisti, cum ope tamen divina, propter humanitatem & modestiam quam amare potes, sponsam, sua virtute quæ dives est satis, invenisti, hem ornatam, ut lepidè, ut concinne, ut novè? Vitæ tuæ propè unicum hæc erit solatium, tua voluptas, tua spes in vita unica, diadema vitæ tuæ, oculus tuus unicus, cujus tantam esse integritatem in moribus, & in cæteris donis virginalibus tantam eminentiam audio, ut meritò felicitatem domus Peris tibi optem, & DEUM optimum maximum precer, ut te unà cum illa diutissimè servet incolumem, vosq; in qua vivitis concordia & tranquillitate perenniter tueatur, ut felix sit conjugium, ut vobis contingat, habere superstites qui domum vestram nobilem fœcudent, quos complexu & gremio vestro fovere possitis, sintquè vobis senescentibus, si modò omine auspicato senescere datum est, non minora oblectamenta quàm commoda. Donum hoc qualecunque, Nobilissime sponse, arridente vultu sumere non recusa; Vobis omnia virgula divina eveniant; & valete. Ex Musæolo meo in Salissa majori 12. Februarij, 1611.

Tuæ Nobilitatis

Observantiss:

M. MICHAEL ZIEGENHORN, SCHOLÆ
ejusdem Rector.

QUÆ

QVÆSTIO
AN BONUM SIT UXOREM
DUCERE;
ET QUALIS?

Nultum hodiè passim disputatur, & in contra-
rias partes differitur, AN MELIUS SIT
UXOREM DUCERE, vel SINE UXORE
VIVERE? pleriq; ut sunt manifesti heretici
Nicolaitæ, Tatiani, Encratitæ, Hierarchi-
tæ, Manichæi, Monachi, Adamitæ, Anabaptistæ, Romani
pontifices, atq; alij Ecclesiæ hostes; imò etiam aliqui, qui unà
nobiscum nomen Christi verbis profitentur, negativam de-
fendunt, quia qui uxorem ducit, libertatem vendidisse pu-
tatur. Et;

Qui capit uxorem capit absquè quiete laborem;
Longum laborem, lachrymas, cum lite dolorem.

Item,

Qui caret uxore, caret lite atquè dolore.

Germani aliquot in hunc modum referunt:

Wer sich im Ehestandt thut begeben
Wird nicht alzeit im Friede Leben

Item,

Ein guter muth ist halber Leib /

Drumb hüte du dich vnd nim kein Weib.

At impijssimam hanc & pessimam in Sacro-sanctum conju-
gium esse blasphemiam, quis dicere dubitat. Sic nimis malè

A 2

dixit,

dixit, quicumq; dixit; Quis quæso sanus & mente constans unquam audet uxorem ducere cum vitam antè multò suavius egerit? An non satius est homini prudenti infamem fieri potius, quam $\tau\acute{\iota}\varsigma$ νόμος γαμῆν γυναικα id est secundum leges ducere uxorem? Musonius aliter & multò quidem rectius, cum quidam dixisset, nuptias sibi videri impedimento esse ad Philosophandum, respondit, se aliter sentire, quum verè sapientes non tantum nuptias sempiternæ gloriæ & immortalitati memoria virorum & presentium teste commenda verint, splendidissimis titulis ornaverint & in cælum usq; tulerint, sed ad eas quoq; accesserint, & suâ presentia adornaverint. Summi enim $\tau\acute{\iota}$ Φύσει Philosophi, pythagoras, Socrates, Crates etiam, licet domo, supellectile, bonisq; omnibus careret, uxores γάμου id est legitimo matrimonio duxerunt, ductas nutricaverunt, eisq; cohabitaverunt, neq; Philosophiæ impedimento statuerunt. Quid? In hoc sancti Patriarchæ, in hoc sancti sacerdotes, in hoc sancti Propheta, in hoc Petrus, item & Apostoli, & Johannes Evangelista vixerunt, & omnes conjugati fuerunt, ut satis declarat Jovianus contra Hieronymum, de quibus connubijs sanctorum amplissimè Augustinus Datus in suo tractatu de connubijs sanctorum, ubi excellentias illorum connubiorum satis denotat laudando castitatem matrimonialem. Herocles universum genus humanum $\omega\epsilon\delta\varsigma$ τῆς βοηθείας ἢ Φιλίας κοινωνίαν id est, ad auxiliij & amicitia societatem natum esse dicebat.

Prima autem, inquit, & præcipua κοινωνία est, quæ per nuptias initur. Nam civitates sine familiis esse non possunt, & fa

Et familia innupti manca est, integra autem Et perfecta il-
lius boni amoris qui conjugator fuerit. Sine uxore nulla do-
mus aut res domestica stare Et durare potest; sine uxore nec
extendi progenies, sine uxore nec vocari hæres, sine uxore
nec appellari hæreditas, sine uxore nec esse propinqui, sine
uxore nec familia, nec pater familias dici potest. Qui uxore
non habet, domum non habet, quia domum non figit; Et
si habet, moratur in ea ut peregrinus in diversorio. Qui
uxorem non habet, etiamsi locupletissimus, nihil ferè habet
quod suum sit, quia non habet cui possit relinquere, nec cui
confidere omnia sua patent insidijs, furantur illū servi, de-
fraudent illum socij, contemnunt illum vicini, negligunt
ipsum amici, insidiantur ipsi propinqui. Quid ergo dulcius,
quid jucundius esse potest patri familias intra penates do-
mesticos se recipienti, quam habere matrem familias, cujus
tutela cuncta domestica negotia credat, cum qua curas par-
tiatur, cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradat,
que marito jugi exercitatione fatigato sit requies atque
fomentum? Quinti olim Metelli Numidici apud Roma-
nos laudata concio huc spectat, qua cives (ne Respublica con-
cidat) exhortatur ut uxorem sibi quisq; deligere pergat: Si
enim, inquit, sine uxore vita transigi posset, non in viti om-
nes eā molestia atq; incommoditate liberari exoptarent:
Sed quoniam ita natura comparatum est, ut nec cum illis sa-
tis commodè, nec sine illis ullo modo vivere possimus, saluti
perpetuæ potius, quàm Reipublicæ incolumitas subsistit, quam
brevis voluptati consulendum. Quod si fœminæ ministeri-

um in negotio domestico, ac rei familiaris administratione
magnum usum ac commoditatem sanis ac validis prestat; profe-
cto valetudinarijs illius opera cum primis utilis est & necessa-
ria. Siquidem sapiente teste; ubi non est sepes, diripitur
possessio; & ubi deest mulier, ingemiscit ægrotus, qui a-
lienâ ope indiget, atque alterius fulciri debet ministerio.
Romæ cœlibes non admittebantur ad Magistratum, ut te-
statur lex de maritandis ordinibus. Spartanorum lex mul-
tam statuit, primam non ducenti uxorem; alteram serò
ducenti; tertiam & gravissimam illi, qui malam duxe-
rit, quæ nihil aliud nisi amicitia inimica, in effugabilis pœ-
na, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis
calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimen-
tum, quæ, inquam secundum Philosophum, nihil aliud, nisi
viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimen-
tum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria
pugna, sumtuosum bellum, belua conviva, sollicitudo con-
fidens, leæna complectens, exornata scylla, animal malitio-
sum, malum necessarium.

Sunt tria mala domus, imber, mala foemina, fumus.

Nichts böses kan auff dieser Erden
Den ein böß Weib gefunden werden.

O miserum, o miserrimum, inquam, illum virum, ejusmo-
di mala herba & bestia cui contigit. E contra o fortunatum,
o beatissimum, inquam, illum virum, feliciter cui adduci-
tur proba, officina, quæ præclarissimarum virtutum
est, officina timoris Dei, fidei, patientiæ, dilectio-
nis

nis, officina castitatis, mansuetudinis & humanita-
tis.

Hac ut nil melius, ita mala nil est pejus;

Omni*bus ista bonis præstat, & illa malis.*

Der beste Hausrath ist ein from Weib /

Es ist viel Ehren werth ihr Leib.

Cum autem varia & diversa in nuptiarum solennitatibus soleant observari; quorum aliã spectant ad matrimonij honorem, ut sunt preces, quæ fiunt pro Neogamis, præsentia Nobilissimorum & honestissimorum hospitũ, Epithalamia, vestes nuptiales, annuli &c. alia verò ad hilaritatem dierũ nuptialium sunt instituta, ut opiparè apparatus convivia & vinosa, instrumenta musicalia, saltationes agiles, choreæ cum virginibus castissimis, tum & adolescentibus purissimis longè gratissimæ, quas magnã curã discunt, & in medias quas noctes sine satietate protrahunt, summaq; diligentia observant, ut ad lyrae tympanisq; ac tiliarum numeros, compositis gestibus, moderatisq; incessibus saltent. Hæc, inquam, omnia in gratiam, favorem, & honorem NEOGAMORUM fieri quis dubitat? Quid ergo ego pro ingenij mei modulo honoris gratiã vobis optem? quid proponam? quid seligam? quid tentem? Brevibus clarè, quid à me factum velim, verbis indicabo; Faveat DEUS conatibus meis.

Communis & vulgaris hodiè juvenum querela est, quàm periculosum sit nostri seculi conjungere se aliquã in matrimonio. Licet enim magnus illarum delectus haberi possit: tamen in hac tanta copia interdum gravissime errari, propterea

pterea quod sæpè deligatur ea, quæ esset negligenda, & negligatur illa, quæ esset ante omnes eligenda. Rex verò sapientissimus Salomon consilium suppeditat prævalentissimū & probatissimum, quam quisq; sibi deligere & diligere uxorem debeat, si talem velit habere, cuius industria, cuius consilio, cuius labore & vigilantia domus illius adificetur, & quæ res paratas custodiat, illaq; omnia curiosè conficiat, quæ domi debeant administrari, nempè uno verbo, SAPIENTEM. videndum ergò

PRIMÒ quid per mulierē sapientem intelligat Salomon.

SECUNDÒ & quare sapiens præ cæteris sit eligenda.

SAPIENTEM MULIEREM non tantum commendat REX Salomon; Sed hoc etiam alibi facit scriptura; & vocatur alioquin mulier sensata, sive intelligens, prudens.

Non autem requirit à muliere Salomon summam illam & extremam sapientiæ partem, perspicacitatem & doctrinā illam, ut noverit de mysterijs divinis, vel de rebus arduis, & causis gravissimis sapienter loqui, & ut suis consilijs alios juvare possit, quales fuisse olim Hecuba, Andromache, Creusa, Artemisia, Monyma, Ersilia, Herpilida, Hipsicratia, Amastrix, Hermodice, Semiramis, Plotina, Penelope, Dido, Portia, Poppea, Agrippina, Alcmena, Veturia, Olympias, Helena, Aurelia, Zenobia, Cleopatra, authores gravissimi, magistri dicendi, & graves ac ingeniosi Poëtae narrant & inter se fabulantur, non enim regum curijs aut gravissimis consultationib; adhibentur mulieres, quia viris ista conveniunt. Et recte Augustinus; Mulier, inquit,

inquit, nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dicere, nec judicare, quanto magis non potest imperare. Ideoq; Paulus & in Ecclesia, & in curia vult tacere mulieres, illis enim νόσμον ἢ σιγήν silentium decus affert; ut inquit Sophocles in Ajace:

Dulcibus & modicis ornatur foemina verbis.

Item

Ex hoc laudatur mulier, si pauca loquatur.

Verum haec est sapientia mulieris, ut regendae familiae & curandae rei familiari sufficiat. Lacena quaedam captiva cum interrogaretur, quid bonae rei sciret? probe, inquit, regere domum. Et haec non vulgaris ars est in muliere. Explicatus ita Virgilius Aeneid 8.

Ceu foemina primum

Cui tolerare colo vitam, tenuiq; Minerva

Impositum cinerem & sopitos suscitavit ignes

Noctem addens operi, famulasq; ad lumina longo

Exercet penso, castum ut servare cubile

Conjugis, & poscit parvos educere natos.

De utriusq; Sexus discrimine pleclare philosophatur Aristoteles, & Xenophon in Oeconomico. Ideo, inquit foemina est natura timidior, quia timor prodest ad conservationem rei familiaris. Voluit igitur Deus foeminam esse timidiorum viro, ut diligenter & sollicitè custodiret res magno labore mariti acquisite & partas; virum verò fecit natura audaciorum, quia vir non semper potest domi latere, sicut

B

foemi-

foemina; sed oportet virum in patria negociari, exercere
agriculturam, aut etiam in bello servire magistratibus. Ut
autem nunquam desint mulieres sapientes, & perita rei do-
mesticae, suo officio diligenter fungantur parentes, in primis
verò matres familias, ut domi suas instruant filiolas, quò
possint, ubi viris collocatae fuerint, & economiae suae bene pra-
esse. Nec unquam permittant illas esse otij amatrices eximi-
as, & ultra Endymionem illas indormire negligentia, sed
assuefaciant ad laborem, juxta illud Demostheneum;
ἔως ἐστὶ καιρὸς, ἀντιληπτέον τῶν πραγμάτων, dum adest occasio rerū
cura suscipienda est, ὅπως πλείων ὁ πόνος, ἐκεῖ μείζων ἢ ἡδονή, ubi
major labor, ibi major, voluptas, inquit Chrysostronus, sive
divites sint, sive pauperes, nec prius matrimonio jungant,
quàm operas domesticas facere sint edoctae.

Sic fiet ut olim parentibus sint honori; habeantur à ma-
ritis in magno pretio, sibi etiam & liberis sint utiles. Hoc u-
num est, quid per mulierem sapientem intelligere velit Rex
Salomon. Quam verò ob causam sapientem mulierem, quā
ullam aliam deligere satius sit, jam erit ponderandum.

PRIMO, plerosq; juvenes virosq; multum delectari forma
elegantia, & potius formosam uxorem eligendam judicare
nemo est qui possit hoc negare. Est enim pulchritudo tale
objectum, quod cor oculosque rapit amantium.

Nec mirum cum sit donum DEI, nec contemnendum.

Commendat enim nobis scriptura sacra Saram, Esther, Re-
beccam, Abigaëlem, Rachelem ab eleganti corporis forma.

Et Virgilius 5. lib. Aeneid:

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Sapi-

Sapientes persici volunt deligi pulchram. Esther. 2. Sic & consiliarij Davidis, ipsi frigido & effæto atq; mox morituro suadent, adjungi juvenculam pulcherrimam, & Abisag deligunt; putabant, hanc sanitatem alluturam Regi. Uxor Ageti Lacedæmonij, quam postea duxit Rex Ariston, speciosissima & pulcherrima fuit, ex turpissima talis facta. At non est maximum nec summum Dei donum, nec sufficit, habere formosam, nec sola formæ eligenti potest beare maritum, & cadit in impias quoq; quod docet exemplū vastbi, & aliarū. Ideoq; ut formosissima sit mulier, requiritur etiā mansuetudo, comitas. Potest enim interdum mulier, licet formosissima (faciem si spectes) juxta tamen usq; adeò esse morosa, mordax, iniqua & inhumana, ut omnem pulchritudinem illius nihili possis facere. Antisthenes adolescenti consulenti cujusmodi uxorem ducere expediret? Si formosam duxeris, inquit, habebis communem; si deformem, habebis pœnam. Ergò formæ elegantia penitus negligenda? Minimè gentium. Syracides cap. 37. Species, inquit, mulieris exhilarat faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis super inducit desiderium. Quibus verbis non reprehenduntur illi, qui formosas sibi deligunt uxores, & illas diligunt; jucundas enim hasce viris esse, & posse delectare maritos, palàm constat. Si autem vitio vertendum esset homini, quod formosam uxorem ducere cupit; DEUS certè reprehendendus esset, quod ejusmodi creavit. Herodotus scribit, Agatistam, Clisthenis filiam, adeò formosam extitisse, ut ad habendas eius nuptias celebrata sint procorū spectacula & certamina, quo speciosissimi quiq; Græciæ adolescen-

lescentes confluerint. Ariadne filia Minois, forma fuit elegantissima propterea Bacchus duxit in uxorem, eiusque coronam stellis ornatam in astra retulit. Credibile est Bersabeam Uriæ uxorem, elegantissimam formam, quæ sapientissimum illum Regem & Prophetam sanctissimum Davidem usque adeo titillaverit, ut solitæ Religionis oblitus, adulterio & homicidio (Uriam enim devovit morti) suam contaminaverit sanctitatem. Lucretiæ formam tanti fecerunt Romani, ut cum suis monumentis ubique celebraverint & vindicaverint à mortalitate, nec solam ob eximiam pulchritudinem; verum etiam ob castitatem, quod vim Tarquinij gladio sit ulta.

Alexander Magnus, totius propè orientis victor & Imperator, Roxanam Satrapis barbari filiam matrimonio sibi junxit ob solam ejus pulchritudinem. Sunt & quidem alia permulta feminae, in quibus elegantissima fuisse pulchritudo memoratur, ut Pasiphæe, Berenice, Hermione, Bryseis, Penelope, Deidania, Ersilla uxor Romuli, Antigone, Arethusa, Arachne, Arsinoe, Polyxena, pelagia, Lycaste, Jocasta, Hecuba, Cassandra, Hesperie, Cleopatra, Cheolia, Iliæ, Sibyllæ, Vestales, Heronia, & alia ferè infinita, quas qui scire volet, authores revolvat. Hæ, inquam, omnes, si impium esset formosam ducere, non creatæ essent. Certè patriarcha Jacob vir plenus virtute & pietate, Rachaelem diligit, eo quod formosa esset, nec propterea legitur reprehensus à Deo. Non ineptè divinus poeta.

Dulce merum, dulcis conjunx, mens conscia recti,
Nil tribus his junctis dulcius esse potest;

De-

Delectationem oculorum & cordis atq; adeo sanitatem viro
(cujus non minima pars est hilaritas) afferre posse uxorem
formosam nonnulli opinantur, & rectè quidem. Nec obstat
aliquorum erroneum argumentum; Vanã esse mulieris
formam, quia pulchritudo illius formam non possit sa-
tiare. Sed cogita erronee; quòd nec etiam deformitas ani-
mi, & corporis pravitas afferant saturitatem. Neq; profe-
cto sine causa à plane monstrosis abhorrent juvenes. Mar-
tialis Philenem puellam luscã fuisse, & altero lippum ocu-
lo videtur innuere lib: 1. ubi ait:

Oculo Philenis semper altero plorat,
Quo fiat istud quæritis modo? Lusca es.

Item lib: 2.

Cur non basio te Phileni? Calva es.

Cur non basio te Phileni? ruffa es.

Cur non basio te Phileni? Lusca es.

Etsi deformitates naturã alicui tributas, nemo probri vice
alteri obijcere debeat; tamen non frustra dixerunt veteres:

Cautus homo cavit, quotquot natura notavit.

SECUNDO. Alij eam eligendam putant, quæ splendidior fa-
milia, (quod respici non debet) & loco honesta sit nata, ut sic
amicorum ope juvari possint, in quocunq; proposito, ut aspi-
rare possint ad honores & dignitates. Esto; sit hic animus
propinquorum & cognatorum uxoris; te ad quoscunq; velis
honoris provehere gradus propter conjugem: Et verò acci-
dat tibi, quod Psal. 146. habetur: Exhibit spiritus hominis &
revertetur in terrã suã, tunc perierunt omnes cogitationes
ejus; Esto; quomodo stabis? Experieris tum illud Jerem. 17.

Ma.

Maledictus vir, qui confidit in homine, & ponit carnē brachium suum. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & est Dominus fiducia eius; Psal. 118. Melius est sperare in Domino, quam sperare in homine. Melius est sperare in Domino, quam sperare in Principibus, Psal. 146. Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Beatus, cuius DEUS Jacob adjutor eius, spes eius in Domino Deo ipse, qui fecit cælum & terram. Esa. 30. Beati omnes, qui expectant Dominum. Proverb. 3. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo. Sæpius ab illis hominibus, in quos omnem nostram spem ponimus, deserimur & impedimur; at impossibile est, ut à fine seu scopo aberremus, qui tota mente in DEUM speramus, & omnia nostra pro virili agimus. Assuefaciamus, inquit Basilius, nos fratres, ut non ad humanas spes confugiamus, nec inde nobis auxilium petamus, sed effusis lachrymis & gemitibus, & assiduis votis DEO preces adhibeamus. Esto, & posito & jam hoc casu, te opera amicorum conjugis adjutum, amplissimos dignitatis gradus adeptum esse; quid tum fiet, cum uxor tua sit parumpia, nec pudica, nec verecunda, non amabilis, sed impia, obscæna, lasciva, morosa, & insipiens destructura est domum? Quid tum fiet, quando illius negligentia & imperitia ad extremam redactus fueris paupertatem, ut non habeas unde vivas? quod multis accidisse, experientia testis esse potest. Tum illa infringet dignitatem tuam, & forsitan etiam de altissimo & amplissimo dignitatis gradu te deturbabit, deiciet, depellet, detrudet. Bone DEUS, quæ hæc erit miseria? quæ hinc orientur rixæ? quæ altercationes? quæ jurgia

jurgia? TERTIO; Major etiam pars juvenū in banc descendit sententiam, eligendam esse uxorem prædivitem, ut habeant, ut nunquam egeant, cum tamen divitem ducere periculosum est, Ecclesiast: 25. Romanus quidam cum eum amici reprehenderent quod pudicam uxore, locupletem, & formosam repudiasset, calceum protendit, nam & hic, inquit novus est & pulcher, sed nemo vestrum novit, ubi mi premat. Martialis querenti, cur non duceret locupletem? respondebat lib. 8. ad Priscum.

Uxori nubere nolo meæ.

Si duxeris inopem onus tibi impones. Ergò *ἢ* *σε αὐτὸν* tu tibi sime parem, quæ bonis moribus exculta & à tuo ingenio non disidet.

Welcher nehmen wil ein Weib

Allzeit bey seines gleichen bleib.

Quod & Pittacus, unus ex Septe sapientibus, probavit dicens. *ἄμει ἐν τῶν ὁμοίων*, duc unam ex paribus. Quod licet ab homine Ethnico sit dictū & profectum, debet etiam hodie à Christianis non negligi. Apud Holsatos lex fuit, ut nobilis nobilem, ignobilis ignobilem, liber liberam, servus servam, duceret, & secus faciens, vitam amitteret. In sacris literis 2. Paralip. 25. insignis enigmatica extat descriptio matrimonij inter carduum & cædrū; at hæc quomodo intelligenda & explicanda? Intelligenda hæc de impari conjugio, quod inter virum pauperem & opulentam fœminā contrahitur. Plautus hanc aselli & bovis conjunctionē diceret, ut occurrit elegans locus in Aulularia. Chrysostomo ita visum fuit: Acerbum est, pauperiorem duxisse, acerbum item opulentio-

lentiorem. Quid ita? Illud nimirum rem; hoc auctori-
tatem ac libertatem viri minuit læditq; cui parere extre-
ma est contumelia. *Quæ indotata est, ea in potestate est
viri; dotatae maētant & malo & damno viros.*

Sat dotata venit, quæ sine labe venit,
*Diodorus apud Stobæum inquit; Ego mihi hanc legē sancio,
& approbo juxta hanc sententiā facere, Melius est benè edu-
catā ducere uxorem sine dote; quam cū pecunijs malè, præ-
sertim cum vitæ particeps futura sit. Et Euripedes apud e-
undem; Quicumq; divitiarum aut nobilitatis respectu malā
duxerit, stolidus est, parva enim mala prudentem potius
quàm magna domi habere oportet. Recte imò rectissimè di-
xerunt veteres;*

Pœniteat, o res, similem duc, respice mores.

Quod non incommodè quidam ita reddit;

Besser dein leben / ruff Gott an /

Wiltu ein Christliches Gemahl han.

Deines gleichen nim vnd da siehe hin /

Das sie nicht hab ein störrischen Sinn.

*Opes, agros, pecunias & similia, parentes relinquunt filijs:
at uxor proba & honesta à solo venit DEO; Man schüttelt
sie nicht von den Beumen. Ergo ante omnia ferenda sunt
preces ad DEUM pro consequenda pia honesta conjugē, sicut
fecit Isaac & filius Tobie, imo etiam alij boni amoris conju-
gatores & sacri conjugij candidati. Vir qui spiam aliquan-
do consultissimus & nobilissimus, cum de ducenda uxore co-
gitaret, sic DEUM affatus est;*

Consortem multis ornatam dotibus opto,

Quam dare nemo alius, te nisi dante, potest.

Di-

Distrahor in varias partes & quo sit eundum,

Ulla mihi nondum semita certa patet.

Te precor ergò tui per livida vulnera nati,

Qui sanxit casti jura beata thori.

Duc me legitimos quò debeo figere gressus,

Te monstrante viam, mi DEUS, ipse sequar.

QUARTO Inter multos errores ac vitia, quæ cõmitti solent in adeundo conjugio & statu connubiali hoc etiam potissimũ culpandum, mihi videtur, ex quo magnum imò maximũ incommodũ emergit, quando juvenes ex mera pecuniarũ aviditate incitati, non dico VIDUAS JUVENCULAS, à viro, aut verius, à ve & idua id est per mortem à marito separatas, non dico matronas, pietate, castitate & forma equè pollentes & excellentes, creandisq; pueris beatas, sed vetulas & aniculas annosas, rugosas, curvas, edentulas, frigidas, deformes, horridas, litigiosas, nocentes, trementes & deliras, quibus quid dici aut fingi potest monstrosius? quid deterius? quid inamabilius? quid inhumanius? & quod ab omni naturali societate alienũ, ambiunt & in conjugiũ adsciscunt. Errant hi omnes & singuli turpissime, dũ non attendunt versũ: Nulla salus vetulæ, florentem poscimus omnes.

Has omnes infantes parvi, has omnes venustæ & pulbellæ puellulæ & tenellulæ in cunis exhorrescunt, harũ oculos fugiunt, has auribus respuunt, has ve animo aspernantur. Sic ubi matrona aliqua verrucosa, vel rugosa anus infantes ulnis gestat, gremioq; fovet, ad primum statim intuitum plorabundi resiliunt; at si qua fortè elegantiori forma beneq; culta adstiterit matrona, eò se inclinant, illamq; exporre-

C

Et is

Etis brachijs ambiunt. Quid ergo? Licet tale matrimonium nunc non sit prohibitum, tamen ex vulgo hoc contractu plurimos offendi constat. Plato libro 5. de legibus inquit, in conjugio hæc sit proposita consolatio, quod oporteat conservari naturam humanam librorum procreatione, ut singuli DEO alios autores suo loco substituunt. At queritur, Num vetula deliræ & tremebundæ donum pariendi liberos habeant? Nūc benedictio illa, crescite & multiplicamini, quæ sanè fuit maxima, ad illas pertineat? Nullo modo. Senex cum ducat adolescentulam, prorsus culpari non potest, nec natura & statui contrarium, cum multis senibus crudis ac viridi senectæ non desit facultas procreandæ sobolis, quod mulieribus an- nosis atq; effæctis denegatum. Si vetulus cū juvencula conjungitur, certò illis nascuntur liberi, at non vice versa vetula cum juvene viro accidit post mediam ætatem, qui mediã ducit uxorem domum; si eam senex anũ prægnantem fortuitu fecerit, quid dubitas, quin sit paratũ nomẽ puero posthumus, ut manifestò alludit plautus in Aulularia. Dionysius senior cum videret matrem ætate confectam secundo nubere velle, & eã ob causam à multis malè audire, ait; Civitatis legibus vim quidẽ posse afferri, natura verò nequaquã. Cum ergo hæc non sint nebulis & caligine tectæ, velatæ, ad- operta, sed vera nec non magis Apollinis vera, quid mulierẽ honestissimam ducturo faciendum? qualem ducat? qualem eligat & diligat? qualem vè in matrimonium sibi accipiat? Dicam non meo, sed omnium mortalium sapientissimi Regis Salomonis consilio, UXOREM SAPIENTEM, spectatæ diligentie & œconomice rei peritam & sedulam, quæ scit seipsam, su-
am

*am domum, remq; privatam benè & fideliter regere & gu-
bernare, cujus amor omnium aliorum dilectionem supera-
re debet- Quid multa ?*

Hæc quia divini tibi numinis obtigit aurâ,
Jure tuus felix dicitur esse thorus.
Gratulor & summum precibus super æthera Jovam
Sollicito, Sponsam sospitet ipse tuam
Ditet vos opibus, fortunâ, prole, senectâ,
Et sit amor qualem turtur habere solet.
Servet ut incolumes vos longo tempore, vestram
Atquè beet multâ prosperitate domum.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



W 1999

[70/98]

ULB Halle 3
001 915 363



56


V3 17 ✓
Retro ✓





70






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



95



TATE ET SPLEN-
dore cumulatissimo &
tissimo

ENDO A Lat-
x Salba / omnis
s cultissimo M U.
atrono.

QUE FORMÆ NO-
tissima ac castissima
ti

ETHÆ,
SIS SPLENDORE, EXI-
oritae, rerumq; multiplici
utissimi viri

IDERICI Brand
in Wiesenburgf/
fima;

um novum (quod
Wiesenburgf/ 17. Febr.
ertum ac fe-

omino
n / Scholæ majoris
ector.

NDREÆ BEZELII.

